Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

Caput IV.

urn:nbn:de:bsz:31-115990

Visual Library

rei: subitò crux lepram abstersit. Quocirca ille Christianis præceptis imbuitur, ac deinde baptismo lustratur. Hæc in Cangoximanæ ciuitatis oculis gesta, cum alij tum Vincentius Pereira Lusitanus nauarchus in India Francisci Xauerij enarrauit, grauis quamuis magnæ rei Auctor, idemque Xauerij, ut proditur, familiaris.

De Antonij Criminalis martyrio cognoscit.

Cap. IV.

Lætum rei Christianæ successum Xauerius haud leui dolore affecerunt litteræ eisdem ferè diebus ad eum ex India perlatæ, ex quibus de Antonij Criminalis morte cognouit. Is sicut supra ostendimus, Comorino promontorio à Francisco præpositus, re Christiana per quadriennium præclarè gesta, anno M.D.XLIX. haud multo prius quam in Japoniam appulit Xauerius, martyrij decus laborum suorum præmium adeptus est. Nam cum magna Badagarum manus, Christianæ religionis odio accensa, ex finitimo regno Bisnagæ Comorinensem populabunda incursasset oram; Christiani, ut in re trepida, tecta protinus suorum deserere: ad naues Lusitanorum, quæ tum fortè aderant, pro se quisque confugere cœperunt. Ibi in maximo puerorum ac mulierum tumultu Antonius, multis simul anxijs curis, hortabundus fugam trepidantibus expedire, iuuare cunctantibus, imbecillis opem ferre. Inter hæc aduentante hoste, veritus ne fortè Neophytorum aliquos à barbaris interceptos tormentorum acerbitas, à Christi fide abstraheret, deserere non posset, bonus pastor animam suam dare pro ouibus suis. Ioan. ii. Inuitabatur à Lusitanis in suam nauigia, præsens periculum effugeret: sed ille, qui oblitus sui, suorum consulebat saluti, puerorum maximè ac mulierum

Antonij Criminalis martyrium.

ac mulieres, quarum imbecillitas propior periculo e-
rat, in tutum recipere festinant. Ita dum alios à
Barbarorum crudelitate vindicat, ipse intercepto
hostium incursu à navibus, in praecursores inci-
dit. Tum ille Dei amore ardens, aeternaeque magis
quàm huius vitae memor, positis humi genibus, sub-
latisque manibus in caelum, incredibili fortitudine
offert se neci. Neque barbarorum saevitia e-
ius virtuti defuit. Tribus hastis confossus,
mortem occubuit. Fertur cum graviter vulne-
ratus spoliaretur, ipse in veste detrahenda prae-
dones illos ultro iuvisse, ne vestis tenacior
esset quàm vitae. Hic nuncius variè, ut quod
necesse fuit, animum affecit Xaverij. Nam
& tali se adiutore privatum doluit, & tanto
eiusdem bono, velut paris devotis sibi quoque
destinati pignore, mirè laetatus est. Itaque
lacrymis simul & laudibus debitis tam me-
morabilem sancti viri mortem prosecutus,
sperare coepit, agrum illum, martyris riga-
tum sanguine, uberiores in dies fructus editu-
rum. Nec Xaverij spem rei deinde fefellit
eventus. Ex eo tempore nusquam laetiores exti-
terunt, quàm in ora Comorinensi, Evangelij
fruges; adeò multiplex subinde soboles orta
neophytorum, non facilitate magis, quàm pieta-
te praestantium.

Rei Christianae cursu Cangoximae impedito, Firandi & Amangutij Evangelium praedicat.

Cap. V.

Dispar in simili causa Cangoximae civitatis
Firandisque conditio fuit. Cum enim is, martyrij
avidus, auctoritatem obtinuisset Bonziorum, iamque
laeta